

in futurum debitam habeant firmitatem, praesentem litteram inde scribi et sigilli nostri impressione iussimus roborari. Capitulum quoque Misnense, cuius accessit consensus unanimes et voluntas ad omnia superius memorata, huic litterae nostrae suum sigillum apposuit ad cautelam. Testes huius rei sunt Sifridus de Pigauia, Henricus de Aquatico castro, Conradus in Wurzin et Albertus in Ozzek praepositi, magister Walterus, Hermannus de Liznic, Vlricus, magister Erpho et Henricus de Lubene Misnenses canonici, Tammo et Hermannus fratres de Dobelin, Sifridus de Hagen prope Aldenbure, Henricus advocatus, Conradus filius Leonis et Johannes de Vriberc, Sifridus de Alesleue, Matheus villicus de Misna, et alii quam plures. Acta sunt haec Coloniae juxta cimiterium anno domini M^o. CC^o. XXX^o. III^o. octavo Kalendas Martii. Datum in Cella sanctae Mariae per manum Conradi notarii nostri VII^o. Kalen. Aprilis.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den an Pergamentstreifen befestigten, schadhaft gewordenen Siegeln des Bischofs und des Capitels.

No. 115. 1234. 19. Juli.

P. Gregor IX. befiehlt dem Bischof, dem Probst und dem Scholasticus den Ungebührnissen, welchen das Kloster zu Břewniow bei Prag herkömmlich am Tage der unschuld. Kinder (28. Dec.) ausgesetzt ist, in der angegebenen Weise zu steuern.

Gregorius episcopus etc. venerabili fratri . . episcopo et dilectis filiis . . praeposito et . . scolastico Misnensibus salutem etc. Dilectorum filiorum . . abbatis et conventus Breunziowensis monasterii exhibita nobis petitio continebat, quod quidam canonici et clerici Pragensis ecclesiae quandam consuetudinem vel corruptelam potius praetendendo, venerabili fratri nostro . . episcopo et dilectis filiis capitulo Pragensi eis consensum praebentibus, quorum studio pervigili deberent a nequitia cohiberi, cum multitudine quaerentium vanitatem monasterium ipsum in festo Innocentium annis singulis hostiliter invadentes, eorum vultibus colorum positione varia deformatis, per dictum monasterium tanquam immemores rationis insaniunt, ipsorumque pannis et vestibus laniatis vasa confringunt, domos diruunt, affligendo monachos verborum contumeliis et verberibus violentis, equos quoque ibidem inventos abducunt, plura exinde per violentiam auferentes, quae nedum restituere negligunt, immo ad excessus consimiles successivis temporibus relabuntur, quamquam id eisdem duxerimus per nostras litteras inhibendum. Quare supradicti abbas et conventus nobis humiliter supplicarunt, ut eorum indemnitati super his providere paterna sollicitudine dignaremur. Quocirca mandamus, quatenus, si est ita, canonicos et clericos memoratos ac complices eorundem, ut consuetudine huiusmodi non obstante dictis abbati et conventui restitutis omnibus sic ablatis, similia praemissis ulterius non attemptent, ac memoratos episcopum et capitulum, quod ipsis in talibus consensum aliquem non impendant, monitione praemissa, sublato appellationis obstaculo auctoritate nostra praevia ratione cogatis. Quod si non omnes etc. Datum Reate XIII. Kal. Augusti pontificatus nostri anno octavo.

Aus dem Lib. regestor. an. VIII. ep. 162. Tom. IV. fol. 194. im Vatican. Archiv. — Erben regesta Bohem. (Abhandl. der k. böhm. Ges. d. Wiss. 5. Folge. Bd. 8.) S. 396. Vgl. Palacky ital. Reise (Abhandl. u. s. w. Bd. 1.) S. 25. no. 118.